



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 39. Pretiosa ejusdem Cardinalis mors.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Peracto Missæ Sacrificio ante Aram in Sæc. XVIII.  
oratione cum summo pietatis sensu, ac A. C. 1710.  
Spiritus fervore diutius perseverare,  
totis viribus contendebat, sed enixis  
sui Medici precibus tandem cedens,  
lectum suum, seu verius Crucis recli-  
natorium repetiit.

### §. XXXIX.

#### *Pretiosa Cardinalis Turnonii mors.*

Post hæc Cardinalis per integras qua-  
tuor horas Deo immortali sese im-  
pense commendans, in lecto suo quiete  
ac integris sensibus remansit, paulo-  
post apoplectico assultu (\*) obrutus:  
quocirca a P. Josepho Ceru Clerico Re-  
gulari ac Missionario extremo unctionis  
Sacramento munitus est: dumque Sa-  
cerdos pro animæ commendatione ad  
ea verba: *Commendo te &c.* pervenerat,

L 2   Tur-

(\*) Notat Guarnacius pag. 145. verum non  
esse, quod obierit ictu correptus apoplexiæ,  
prout tamen legitur in relatione Parisiis e-  
dita, & Gallico sermone Anno 1733. exarata;  
cum autem id P. Castorano Franciscanus, &  
Marchinus Turnonii Medicus, necnon ejus-  
dem Auditor testentur, de morbi genere haud  
altercandum censeo, dum de mortis causa,  
ejusque Authoribus satis constat.

**Sæc. XVIII.** Turnonius inter Assistentium preces  
**A. C. 1710.** placidissime animam Deo reddidit. Hic  
 deum fuit exitus Sinensi Ecclesiæ fu-  
 nestus quidem, ob consummati tamen  
 certaminis gloriam faustissimus incliti  
 Herois, Eminentissimi Cardinalis Ca-  
 roli Thomæ ex Marchionibus de Tur-  
 non, quem merito Ecclesiæ Catholice  
 Martyrem dixeris, utpote qui non a-  
 liam ob caussam, quam quod supersti-  
 tiosos hujus gentis ritus a Christi Vi-  
 cario damnatos noluerit Santos, re-  
 ligiososque declarare, proin pro Ca-  
 tholicæ fidei confessione & Apostolica  
 Sedis auctoritate ab Imperatore gen-  
 tili, eique addictis etiam Christianis  
 & Religiosis exilium, carceres, hor-  
 rendasque ærumnas usque ad mortem  
 incredibili constantia pertulit.

Altera post obitum die Missionarii,  
 ceterique, qui gloriose ejus morti in-  
 tererant, defuncti Cardinalis cadaver  
 in tribus loculis, ligneo, plumbeo, &  
 iterum ligneo recondiderunt, ac per  
 integros novem dies Superiores Regu-  
 larium Communitatum, Dominicani,  
 Augustiniani & Franciscani in præfato  
 Cardinalis Sacello Exequias omni-  
 qua poterant, solemnitate celebrarunt  
 Catholici quoque, & Capitaneus Ge-  
 neralis, aliquie, qui eum viventem ca-  
 lumniis, injuriisque exagitarunt, po-

nitem

nitentia ducti justa eidem funebria in Sæc. XVIII.  
 Ecclesia, quæ de *Misericordia* dicitur, A. C. 1710.  
 explosis etiam in ejus honorem bellicis  
 tormentis exsolverunt: quinimo ipsi  
 etiam Sinenses eximia Virum Sancti-  
 tate fulgentem, postquam deceperat,  
 singulari veneratione prosequabantur,  
 ac Missionarii sat provide de ejus in-  
 firmitate ac morte die vigesima quarta  
 Decembris sequens authenticum con-  
 fici jusserunt instrumentum:

„In Civitate Macai hodierno die  
 „sancto Dominico Pentecostes 8. Junii  
 „Anni Domini 1710. indictione 3. Pon-  
 „tificatus autem Sanctissimi Domini No-  
 „stri Clementis divina providentia Pa-  
 „pæ XI. anno ejus X. &c. cunctis pa-  
 „teat, & evidenter notum sit, qualiter  
 „Eminentissimus & Reverendissimus  
 „Dominus Carolus Thomas S. R. E.  
 „Presbyter Cardinalis Maillard de Tur-  
 „non Commissarius & Visitator Gene-  
 „ralis Apostolicus in hoc Sinarum im-  
 „perio, aliisque Indiarum Orientalium  
 „Regnis cum potestate Legati a La-  
 „tere, a tribus mensibus, & præser-  
 „tim usque de die 25. Aprilis circiter  
 „graviter ægrotans, viribus brachio-  
 „rum, ac fere totius Corporis destitu-  
 „tus, demum a quinta circiter die cur-  
 „rentis mensis adeo fuit gravitate morbi  
 „correptus, ut pluries in die vertiginibus

L 3 „la-

Sæc. XVIII. „laboraverit: hodie vero præsenti die  
A. C. 1710. „octavo mensis Junii supradicti hora  
„circiter quarta matutina, juxta horo-  
„logium astronomicum, surrexit e Lecto,  
„& præmissa Confessione Sacramentali,  
„positus super solita Sede magna au-  
„divit missam per me celebratam; fuit  
„que sacro viatico refectus, atque ad-  
„stantibus deinde infra scriptis R. R.  
„D. D. Missionariis Apostolicis, gravi-  
„apoplexia fuit a Deo hora octava iti-  
„dem matutina ejusdem diei correptus,  
„ut opus fuerit extrema unctione illum  
„communire, & paulopost animam  
„Deo reddidit, cum esset annorum  
„quadraginta unius cum dimidio, fa-  
„ctisque diligentissimis, expirasse & mor-  
„tuum fuisse, repertus fuit. Utque  
„de supradicti Eminentissimi ac Reve-  
„rendissimi Domini Cardinalis Maillard  
„de Turnon obitu hodierno die, præ-  
„viis juxta morem S. R. E. precibus,  
„sequuto certo constet &c. Ego infra  
„scriptus Notarius a prædictis DD. ro-  
„gatus, ut dictum Eminentissimum Do-  
„minum Cardinalem vocarem &c. Ter-  
„illum alta voce, proprioque nomine  
„vocatum, mortuum esse adinveni,  
„unus quisque, atque omnes adstantes  
„expirasse & mortuum esse viderunt,  
„& experti fuerunt. Ut autem de præ-  
„missis certo appareat &c. Ego No-  
„tarius

„tarius infra scriptus præsens publicum sæc. XVIII.  
 „instrumentum rogatus scripsi, & meo A. C. 17<sup>10</sup>.  
 „signo munivi &c. Pro quibus &c.  
 „Actum Macai die & anno prædictis  
 „&c. præsentibus infra scriptis &c. Ego  
 „Josephus Cerù Missionarius Apostoli-  
 „cus fui præsens ut supra. Ego Do-  
 „minicus Peroni Missionarius Apostoli-  
 „cus præsens fui &c. Sabinus Maria-  
 „nus fui præsens. Januarius Amadei  
 „Missionarius Apostolicus præsens fui  
 „&c. Fr. Joseph Franciscus de Langasco  
 „fui præsens, ut supra &c. Ego Fr.  
 „Thomas a Divo Josepho fui præsens  
 „ut supra &c. Ego Fr. Petrus de Ama-  
 „rat fui præsens ut supra &c. Ego  
 „Joannes Franciscus Martin de La Bal-  
 „vere Sacerdos Missionarius Apostoli-  
 „cus præsens fui & testor ut supra:  
 „Ego Theodoricus Pedrinus Missiona-  
 „rius Apostolicus præsens fui morti su-  
 „pradicti Eminentissimi Domini, & huic  
 „ejus mortis publico instrumento. Ego  
 „Fr. Joannes Baptista ab Illiceto Missio-  
 „narius ex ordine Fratrum Minorum de  
 „observantia fui præsens ad omnia su-  
 „pradicta &c. Ego Marcellus Ange-  
 „lita non tantum adfui, sed & testor,  
 „super brachia mea expirasse prædicta  
 „supradicta die, & hora &c. Ego Jo-  
 „seph Ignatius Cordero vidi mortuum,  
 „& fui præsens, quando confectum fuit

L 4

„hoc

Sæc. XVIII. „instrumentum. Ego Dominicus An-  
A. C. 1710. „tonius Marchini fui præsens ad omnia  
 „supradicta, ac testor &c. in quorum  
 „&c. hanc præsentem copiam extraxi  
 „&c. & mea subscriptione, ac signo  
 „muni vi &c.

## §. XL.

*Ejusdem Cardinalis vita & gesta.*

*Maill. orat.* Natus erat Carolus Thomas Maillard  
*Funebr.* de Turnon Taurini ex nobilissimi  
*Guarnacc.* ac pervetusto illius civitatis genere di-  
*l. c.* vigesima prima Decembris anno Christi  
 millesimo sexcentesimo sexagesimo octa-  
 vo. Prædecessorem habuit ex eadem  
 familia celeberrimum Cardinalem &  
 S. Collegii Decanum Franciscum de  
 Turnon, qui Sæculo XVI. maxime in  
 Ecclesia floruit. Carolus vero emenso  
 Taurini studiorum curriculo, utrius-  
 que jurisprudentiæ lauream emeritus,  
 Balthasaris Cencii Præfulis egregii, at-  
 que Avenionensis Pro-Legati Niceam  
 profugi amicitia & familiaritate ute-  
 batur, & demum Sacerdos factus Ro-  
 mæ ab eodem in Assessorem, ac labo-  
 rum socium feligebatur. Eminuit jam  
 tum singularis prudentiæ ac pietatis  
 laude, præclaraque suæ scientiæ speci-  
 mina saepius exhibuit; non raro enim  
 literariis cætibus adscriptus præsertim  
*Colle-*